

# The Electronic *Manipulus florum*

[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

## Discere I cum uariis

Tria sunt, ut ait Alexander, que impediunt hominem apprehendere ueritatem rei, scilicet amor altitudinis, subtilitas ac profunditas rei inuestigande, et ignorancia inquisitoris siue breuitas potencie sue in apprehendendo. In nostro autem tempore est causa quarta quam non numerauit Alexander quia non erat in tempore suo, et hec est societas et nutritura quoniam in natura hominis est amor sequendi illum cum quo habet societatem et diligere ea in quibus nutritus est. Adeo quod uidebis habitatores uillarum, licet sint ibi in sordibus et in defectu delectacionum et in malicia ciborum ut odiant habitationem ciuitatum nec delectantur in deliciis earum et eligunt pocius ea in quibus nutriti sunt quam in ea in quibus non sunt, licet sint meliora. Simile contingit homini in scienciis et opinionibus in quibus nutritus est ab infancia sua quoniam diligit illas et confirmat rationes ipsarum et anxiatur in contrariis. Et ideo propter istam causam deficit intellectus hominis in apprehensione ueritatis, et sequitur ea in quibus nutritus est, et tunc renouabitur in eo dominacio cogitacionum similium et sequela defectuum et malicia morum. Hoc autem accidit propter societatem et nutrituram cum illis quorum opinio confirmatur in eo.

Rabi Moyses libro I. capitulo XXX.

---

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>):

numerauit] numerauerat C; est *om.* L<sup>2</sup>; societas et nutritura] societas nutritiua P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; nutritus est] est *add.* (*del. sub lin.*) B; uidebis] uidebit M; in *om.* M P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; ipsarum] earum P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; hoc autem] non V<sup>1</sup>, id V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; autem *om.* P